



Ung

N-184.

Occasionia N-184.
potissim in carminis gratul.
vni in
(Cafaciana in alij peregrata)
infra paginas. ~~184~~ 184a

184a



CVM
 AVGVSTISSIMVS ROMANORVM
 IMPERATOR
CAROLVS VI
 PERILLVSTREM ATQVE EXCELLEN
 TISSIMVM DOMINVM
DOMINVM
BERNHARDVM
ZECHIVM
 POTENTISSIMI POLONIARVM
 REGIS ATQVE ELECTORIS SAXO
 NIAE A SENATVS SANCTIORIS AC
 STATVS PVBLICI CONSILIIIS
 HEROEM DE REIPVBLICAE AC LITE
 RARVM FLORE IMMORTALITER
 MERITVM
 SACRI ROMANI IMPERII EQVI
 TEM AC NOBILEM DOMINVM
 CLEMENTISSIME CREASSET
 HANC GENTILITIAM SPLENDIDISSIMAMQVE
 DIGNITATEM
 AETerno PIETATIS ATQVE OBSERVANTIAE
 CVLTV
 EIDEM GRATVLABATVR
ACADEMIA VITEMBERGENSIS





Yndaridas feruens iuuenes cum lumine Phoebus

Mitteret, ac rapidi curuantia brachia cancri
Vreret, ad summumque gradum conscenderet
aulae,

Tum Bellona, soror Martis, comitata Furore,
Terrore atque Timore, Thracum uidet agmina clades
Innumeras quod laeua parent, aeternaque regna
Teutonicae flamma, ferroque, excindere gentis.
Euehit huc animos hominum male sana cupido!
Illa Sauum celeri cursu, rigidumque per Istrum
Aduolat ad Magni Caroli palatia, cuius
Sceptra oriensque, cadensque, genu sol semper adorat
Flexo, quem turmas equitum, peditumque phalangas,
Robore membrorum, atque animi uirtute feroces,
Conspiciens lustrare, stetit, gauisaeque uisu,
Nate Diis, inquit, sic, sic iuuat ardua Martis
Munera procurare, iugumque imponere uictis
Hostibus. At satis est ingens exercitus, amplo
Nec numero belli stat fors, sed milite forti.
Restat, ut accendas, et largus honoribus ornes
Militis ardorem, atque Ducum conamina mactes.
Sic ait. Ille Deae properere bene iussa peregit.
Hunc summo iubet esse loco, reliquosque secundo,
Illos nunc equiti, pediti mox praeficit istos,
His naues commendat, iis frumenta, aliisque
Dat tormenta, cuique sui praestantur honores.
Atque haec Bellonae dum conspicit aemula Pallas,
Res magnas semper Carolum comitata gerentem,
Est commota pari studio, uoluitque suorum

Prospicere

Prospicere et meritis, ac talia uerba locuta est;
O tantis Abauis longe dignissima Proles,
Qua coliturque uiris, o augustissime Regum
Orbis terrarum, non est Tua nescia uirtus,
Felix imperium Martis non ausibus unis
Niti, pacis ali doctis sed et artibus almae.
Quare, age, non minus his fidei det praemia tantae,
Qua res imperii tractant, Tua gratia, summis
Digna Diis. Quiuis quo fit dignandus honore,
Non dicam, quae cura Tibi nunc competat uni.
Est tamen, e cunctis foueo quem pectore toto,
ZECHIADES, quem Pierides uenerantur, amantque.
Ecquid contineant nam uasta uolumina legum
Fastique Imperii, quod non cognouerit omne?
Quae uis iudicii? quanta experientia rerum?
Quanta fides? quantusque labor? quae copia fandi?
Quantaque dexteritas? et quae fiducia recti?
Quamque animus constans, nec turbine mobilis ullo
Fortunae? Ingenii sed quis monumenta celebret
Sat digne? stupidos quae mire poenitet unos
Non cepisse fatis. Nil Is promittit, at omne,
Quo modo cunque bonis possit, praestare paratus
Est gratum. Miratur ouans, Pater, Albi, et ora
Omnis Saxoniae, quod tantis gratia ciuem
Numinis omnipotens donis cumulauerit unum.
Haec sunt, ZECHIADEM pridem quae reddere gratum
Caesareae potuere aulae, quaeque aestimat alta

Sarma-

Sarmatiae ualde magni clementia Regis.
Huncce Tuo augusto multum commendo fauori.
Dixerat. Ille Deae uoces hoc excipit ore:
Ingens ZECHIADAE satis est mihi cognita uirtus,
Hinc ego sponse mea fufis nunc annuo uotis,
Atque illum prudens hoc tanto dignor honore,
NOBILIS ut DOMINVS semper dicatur, EQVESque,
Imperii nostri, decus hoc et deferat omnes
Ad natos illustre suos, felixque fruatur.
Haec mandata tulit, cum laetos cuncta bonorum
Concio dat plausus, iuga qui, qui flumina, syluas,
Teutonicae et terrae cunctas sonuere per urbes.
At Morbona tamen laetis his inuidet una,
Heroemque graui uitae minus aequa periclo
Exponit. Potuit quod non tolerare Minerua,
Atque salutiferos succos deposcere Frateris
Coepit, quae animi uires ac pristina uirtus
Corporis et rediit. Mox conuocat illa cohortes
Naiadum, Dryadum, Charitum quoque, Pieridumque,
Ac noua laetitiae cantari carmina curat.
Nostra, VIR ILLVSTRIS, monet obseruantia, TE qua,
Tot celebrem meritis, ueneramur pectore toto,
Ut nostros aliis tot plausibus addere plausus
Conemur. Det larga manus TIBI Numinis aeuum,
Quod numero multum superet uel Nestoris annos,
Det uires animi, firmos det corporis artus,
Largo, quaeque cupis, cumulo, det prospera cuncta.

VIIEMBERGAE
PRELO SCHROEDERIANO ACAD. TYP.
AN. REPARAT. SALVT. c1o 1000 XVII

Ung. VI 184

NO 18
NO 18



CVM
AVGVSTISSIMVS ROMANORVM
IMPERATOR

COLVVS VI

REM ATQVE EXCELLEN
SIMVM DOMINVM

MINVM
NHARDVM

CHIVM

SSIMI POLONIARVM
QVE ELECTORIS SAXO

NATVS SANCTORIS AC
PVBLICI CONSILII

E REIPVBLICAE AC LITE
LORE IMMORTALITER

MERITVM
MANI IMPERII EQVI

NOBILEM DOMINVM
LEMENTISSIME CREASSET

LITIAM SPLENDIDISSIMAMQVE
DIGNITATEM

AETerno PIETATIS ATQVE OBSERVANTIAE
CVLTV
EIDEM GRATVLABATVR

ACADEMIA VITEMBERGENSIS

